



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii  
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,  
omnibusque conscientiæ nodis**

**Bonacina, Martino**

**Coloniæ Agrippinæ**

Stabularius.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41152**

na. Ita Cajet. v. *sponsalia. c. cum inhibetio. de sponsal.* Ratio, quia ex talibus sponsalibus sæpè multa scandala & incommoda sequuntur. Resp. 2. Sponsalia publicè contrahenda secundum morem cujusque regionis. Resp. 3. Esse rata, & valida, etiam in locis, ubi promulgatum est Concil. Trident. Busæus.

Quæres: Utrum si parens prius dissentiat, postea consentiat, sponsalia sint valida. Sot. in 4. *dist. 29. q. 2. art. 3.* putat, priori standum esse voluntati, quod verum est, nisi novus deinceps accesserit sponsorum consensus. Idem habet Sylv. & est communis Canonistarum. Probatum ex *l. si bonus. §. hoc sermone. ff. de verb. signif.* Quod si pater, ubi audierit sponsalia esse contracta à filio, taceat: putant multi DD. cum Sylv. paterna taciturnitate adimpletam conditionem, quia qui tacet, consentire videtur. Ang. & Nav. *c. 22. ma 63.* melius negant, nam regula juris est, in 6. *Is qui tacet, nec fatetur, nec negare videtur, & c. cum in jure de offic. delegat.* factum non præsumi, nisi probentur. Hæc Busæus.

## A D D I T I O,

*Stabularius.*

Stabularius potest cogi per judicem, ad recipiendum iudicem.

Tenetur pro damno dato in rebus à suo famulo, non aliter pro vulnere.

Tenetur pro deposito perduto etiam culpa levissima, secundum quosdam, at secundum alios solum de levi. Idem sentiendum de nauclero & caupone. Deposito autem censetur: quod in ejus, vel domesticorum ad id deputatorum præsentia ponitur; Qui vero deposuit rem clausam, probabit, quid fecerit intus, nec stabitur ejus juramento. Quod si recepit hospitio sine mercede, solum tenetur de dolo, & lata culpa, & si dedit clavem cubiculi, non tenetur) vid. Lopez. *p. 55. c. 97. Nav. c. 17. n. 17. Mol. dist. 527.*

*Stuprum. Stuprator.*

1. Stuprum strictè acceptum est concubitus viri cum virgine femina, quo virginalis carnis integritas violatur, sive puella